



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig
Salisburgi, 1693

29. De Clericis Peregrinantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

promittere, causa ad superiorem ipsius referenda erit, vel cum consensu eius recusatorem per ipsum recusatam alibi deleganda. *c. cum speciali. 61. vers. causa. ubi Gloss. & Panorm.* Judex tamen delegatus solummodo ante pronuntiationem cum consensu recusatorem, non verò post pronuntiationem causam subdelegare potest, quia per recusationem admittam tota eius jurisdicchio expirat. *c. iudex. 5. de Officio delegati in 6.* Altero autem casu, si dubitauerint iudicem non esse suspectum, ad eundem iudicem decisio causae principalis pertinebit. *d. c. cum speciali. 61. secundo requiritis. 41. in fine eod. tit.*

Nota VII. Quòd per recusationem propositam (nisi fuerit manifestè frivola) suspenditur jurisdicchio recusatam. Sed an gesta à recusatò post recusationem propositam sint ipso iure nulla, & citra appellationem etiam statim revocabilia, non conveniunt Interpretes. Communior est sententia cum Gloss. *in c. quoties. 16. causa 2. quasi. 6.* quòd sint nulla ipso iure. Mihi magis placet opinio, quam ex Lapo reteri in anorm. *in sape dicto cap. cum speciali. nam. 12.* valorem ejusmodi gestorum pendere ex futuro eventu admittae vel non admittae recusationis: quemadmodum diximus de attentatis, quae sunt post appellationem ad *interlocutoria*, vel extrajudiciali gravamine juxta text. *in c. non solum h. t. n. 4.* quia non videtur posse sufficiens dispensatio assignari.

Nota ultimò, quòd *relatio* sit consultatio ad Principem facta à iudice dubitante, quòd in causa statuere debeat, cujusmodi consultationes olim erant frequentes, ut constat ex *toto tit. Cod. de Relat.* sed quia conspectum fuit, lites nimium protrahi, si post longam disceptationem insuper pro decisione ad Principem recurratur,

& ad eum omnia acta in genere referantur: ideo Imperator *in Novel. 125.* statuit, ut iudices, omissis relationibus, in causis controversis decernant, quòd eis iustum & legitimum videbitur: partes verò, quae se per sententias gravatas exilimant, ad beneficium *appellationis* convolent. Interim tamen non prohibetur, quo minus super aliquo dubio Juris Princeps interrogari possit, dummodo tota causa quoad ea, quae in facto consistunt, ad eum non referatur, ut rectè observat Val. *h. t. f. 20. n. 7.*

TITULUS XXIX.

De Clericis Peregrinantibus.

IN hoc Tit. nihil aliud traditur, quàm quòd peregrinatio, seu arreptio itineris ad Sedem Apostolicam, si intra decendum fiat, habeat vim appellationis ad Papam, consequenter sicut post interpositam appellationem omnia in suo statu manere debent, ita etiam post arreptionem talis itineris. Unde quidquid post hoc iter susceptum peregrinanti per iudicem ablatum, vel in ejus praedictum mutatum fuerit, tanquam contra iustitiam attentatam restitui & revocari debet. *c. un. h. t.*

TITULUS XXX.

De Confirmatione utili vel inutili.

SUMMARIA.

1. Quae confirmatio dicatur utilis, vel inutilis?
2. Effectus confirmationis utilis est, quòd lite ex post facto desuper orta pertineat cognitio ad confirmantem: quòd tamen limitatur.
3. Item quòd praescribitur causa praescriptionis.
4. Innovatio extrinseca instrumenti vel privilegii nullum novum jus tribuit, secus est de intrinseca.

5. Con-